

nostrum ore maximum non memoro? Pariebat ecclesiam, pariebat cœlo, pariebat Christo innumeros liberos, mortem nil quicquam extimescens, donec denique in partu ultimo Romæ enecaretur.

§. XIV. In generatione physica foetus formatur ex certa materia. Nobis videndum est, an? & quo sensu ea in mystica generatione obtineat? ex qua filii DEI produnt. Fatendum est, non esse hic substantiæ ex materia & forma compositæ productionem. Attamen analogia quædam hic observanda. Materia generationis physicæ vitæ & formæ in eam introducendæ expers est. Nec minus vita DEI in anima hominis irrogeniti deficit. Juxta veterum opinionem, corpus humanum ex massa sanguinea formatur. Et quid filii DEI sunt, antequam per regenerationem forma Christi in eos introducitur? *sanguis de sanguine, & caro de carne* Joh. III. 6. In materia corporis humani, juxta eorundem veterum physico-  
rum opinionem, nec nuda inchoamenta formæ & partium conspiciuntur: de quo tamen nos h.l. nihil definim9. De homine ante conversionem suam spectato, longe certissimum hoc est, quod nec inchoamenta formæ Christi membrorumque justitiæ in ipso compareant. Si recentiores physicos audis, corpus humanum ex ovo generatur, omnes partes ruditer jam delineatas seu inchoatas exhibente, puta oculos visui, aures auditui, nares olfactui, linguam gustui, pedes ingressui aliasque aliis usibus fervientes. Prorsus diversa est ratio materiæ regenerationis. Est enim ea τὸ σῶμα τῆς ἀμαρτίας *corpus peccati*: de quo jam diximus, quod nec initia, membrorum justitiæ in eo insint. Omnis vis sanctæ spirandi in eo deest: destituitur oculis, quia nequit videre ea, quæ sunt Spiritus DEI; destituitur organo gustus,